

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Rei rvsticae libri qvatvor**

**Heresbach, Conrad**

**[Spira Nemetum?, 1603**

Avgvsto

[urn:nbn:de:bsz:31-138693](#)

## AVGVSTO.

*Mēsis septentrionalium.*

*Cannabæ quoque alicubi mēsis.*

*Putei, qui perennitatem sint habituri, hoc  
mense & ante equinoctium autunmale, in  
extremis partibus virginis Sole existente,  
fodiendi, nam terra iam longo astu siccata est.  
In fodiendo cauendum fissorum periculum;  
quod plerunque terra sulphur, bitumen, atq;  
alumen educens pestilentem exhalat anhelitu,  
qui occupatis naribus extorquet animas.*

*Periculum faciendum lucerna ardente,  
qua si extincta non fuerit, periculo vacat; si  
vero extinguitur, cauendus locus, & vicinus  
vel dexter, vel sinister occupandus. Pallad.  
Fossores periclitantes, si mox in aquam mit-  
tantur, restituat dicit.*

*Aqua ductibus hic mensis idoneus.*

*Aggeres, & moles aduersus hybernæ  
exundationes struuntur.*

*Linum & cannabis iam ante macerata  
vndis, solibusq; aut focis exiccata, deinceps  
antelucanis lucubrationibus franguntur, de-  
corticantur, ligneis mandibulis. Plin. 19. 9.*

*Pyra Augusto maturescunt, & alij fru-  
etus quidam. Gallorum castratio.*

*Om-*

Omphaciū ex vīis nō dū maturis cōficitur.

Pampinis vitem spoliant, ut percoqui fructus possint, nec putrescant imbris, at calidioribus regionibus, obumbrantur, ne caloribus exarescant. Colum.

Apri saginantur.

Rapaceum semini ferendo, è quo oleum funditur, s Augusti seritur.

Porci è messe habitiores facti cōmodè stabulis committuntur saginandi, antequam quod è messe accreuit saginae, amittatur, & tepidiore adhuc cælo melius pingueuant.

E pyris sunt liquamina, & acerum.

Apes à Festo Bartholomai existimantur parum proficere in mellificio.

Quibus à messe ut plurimum nostratibus saliedi tempus tribuitur, et si Columella vernum tēpus admissura concedat, si sit ovis matura; si infcta, circa Iulium mensem. Prius tamen probabilius, ut autumni pabulo saturatus agnus, ante hyemis frigora confirmetur. Colum. 7.3. Varro ab Arcturi occasu ad Aquila occasum, quod quo post concipient sint vergrandes, & imbecilles. Prægnans autem ovis 150. diebus. Varro lib. 2. Alij quinque mensibus; quod codem reddit.

Ceruorum venatio.

KK ij SEP.